

18

PROGRAMMA

Publicis Disputationibus Politicis
in clytæ nostræ Facultatis Philosophicæ
indultu habendis præmissum

à
M. PAULO Bergmann.

1160

HELMESTADII,
Typis HENRICI HESSII.
ANNO 1686.

PROGRAMMA

Publicis Disputationibus Politicis

inque nostris facultatibus
inductis habenda erant

ANNO DOMINI

HELMSTADT

in HELMSTADT





Mnes, quibus helleboro purgatum est ingenium, id tantum, quod utile est, in tota vita sua sectari & merito quidem, modo turpitudine absit, quis est qui ignorat? Ne rusticus quidem in colendo agro suo alius rei satagit, quam ex qua demum fructum quendam atque utilitatem capere possit.

Profecto, si quisquam hanc vitæ rationem observare necessum habet, illi sunt, qui artibus liberalibus operam & studium suum addixerunt. Tanta enim est rerum discendarum farrago atque abyssus, ut quilibet facile inutilium curam seponere queat. Omnem quidem scientiam laudi atque decori esse inficias ire haut possumus, attamen si perbreve vitæ

tæ humanæ spatium, quod ne unī quidem scientiæ
exhauriendæ par est, altius paulo inspiciamus, utilia
solummodo in vita nostra nobis sequenda esse fate-
ri necessitate quadam adigimur.

Esse verò ex rerum utilium numero disputati-
ones cūm publicè tum privatim quacunque de re,
honestæ tamen, institutas, ut multis probetur opus
haut esse puto. Licet enim non ignorem quam-
plurimos esse, qui hoc studiorum genus vanum &
odioso altercationis nomine appellitent, tanti ta-
men illud non est, ut à semel conceptâ mente me
depellere valeat. *Illi, qui disputationes omnes in-
differenter aut criminantur, aut susq; deq; habent,
id dicunt vel statuunt, nihil demonstrandum aut
probandum, nihil confutandum vel defendendum,
sed omnia simpliciter aut asserenda aut rejicienda
esse; imo semetipsos ignorant, cūm disputandum
esse negant, & vera tamen scriptis suis confirmare
aut falsa refellere videri volunt, inquit B. Dn. D.
Hornej: in Proces. Disp. cap. 1. §. 2.* Tolle enim
hinc abusum & quod remanet fructum ostendet
amplissimum. Homines sumus adeoque nil quic-
quam humani alienum à nobis esse putabimus. In-
terdum quoque bonus dormitat Homerus, adeoque
ipfi

ipsi docentes se nonnunquam à via aberrare & in e-
am reduci posse, arbitrabuntur. Posteriores cogi-
tationes prioribus sunt meliores, eas verò disputan-
di illa ratio ut plurimum suggerit atque suppeditat.
Fugiant disputantes fervorem; deponant obstinatas
prætractasque mentes & de veritate non est quod
dubitemus. *Est enim disputare nihil aliud, quàm
allatis argumentis veritatem vel ignotam in lucem
proferre, vel jam notam confirmare & adversus
contradicentes asserere & tueri* teste eodem Hor-
nejo in *Proces. Disp. c. 1. §. 1.* Quid autem veritate dul-
cius? quid magis decorum? quid eâ utilius est? De-
mosthenes veritatis amore homines ipsi Deo assimi-
lare nullus dubitavit. Esto autem, per hujusmodi
exercitium veritatem rarò vel nunquam indagari,
alii sunt fructus qui inde uberrimè colliguntur. Usu
frequentius nihil fere evenit quàm, ut doctis ex are-
nâ consilium sit capiendum, adversariorumq; argu-
mentis è vestigio obviam eundum, quod non nisi
multum exercitatis facere contingit. Multi sanè
artis suæ fundamenta optimè callent, attamen pro-
pter linguæ difficultatem atque deficiens exercitium
animi sui sensa satis expromere non valent, unde
fit ut ignorantia opinionem & civilis suæ beatitu-
dinis

dinis periculum sæpius incurrant. Disputandi verò studio mens in indagando redditur prompta, ingenium in examinandis aliorum sententiis expeditum, lingua in dicendo volubilis. Plures præterea sunt utilitates quæ exinde ad nos redundant quæq; pluribus hîc explicari possent deberentve, nisi scirem in re clara & perspicua æquum iudicem me facile inventurum esse.

Quæ v. cùm ita sint, Commilitiones honoratissimi, ad promovendum studiorum nostrorum commodum aliquod ejusmodi exercitium publicum vobiscum suscipere doctrinasque Politicas per brevibus thesibus comprehensas, domi verò singulis septimanis pluribus diducendas examinare institui. Quod nostrum studium cùm inclyta Juliæ nostræ Facultas Philosoph. benevolo suo consensu approbavit, omnes illos, quibus id placebit, quàm humanissimè invitatos utque futura die 24. Mart. ea de re pluribus deliberatum ad me venire haut detrectent etiam atque etiam rogatos volo. Nolo autē quemquam de pretio esse sollicitum, satis
pertii

pretii existimaturus vestram benevolentiam, quam
demereri omnibus viribus nitor, & fructum, qui in-
de ad me ipsum uberrimè redundabit. Valete.
Dabam Helmstadii die 21. Mart. Anno 1686.



pretii existimatus vestram benevolentiam quam
debetis omnibus vobis notis & fructum qui in
de ad me ipsum uberrime redundabit. Valete.
Dabam Helmstedt die 21. Marc. Anno 1688.







U

W

W







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

GRAMMA

putationibus Politicis
æ Facultatis Philosophicæ
habendis præmissum

à
PAULO Bergmann.

ELMESTADII,
HENRICI HESSII.
ANNO 1686.

T160